

pli à sacerdote sistebantur, statimque agnus in holocaustum, ovis pro peccato, aries in hostiam pacificam offerebatur. Victimis immolatis, Nazaraei coma abradebatur, igne altaris absumenda : dein traditum sibi à sacerdote arinum, arietis atque panis et lagenae oblationem Nazaraeus iterum sacerdoti restituebat, coram Domino elevandam. His peractis, vini usus Nazaraeo permittabatur. Si voti tempore fortè coram eo vir aliquis occubisset, iterum caeremonia nazaraeatis ab exordio repetende erant, atque insuper duo columbae in expiationem offerebantur.

Cùm tota ante Chanaanitis idololatriæ superstitione teneretur, quo tempore ab Hebræis occupata est, omnia facte religionis monumenta, quæ unquam occurrerent, subverti, lucos, aras, petras, columnas, et doctum simulacra Deo justitiam (Lev. 16, 4; Deut. 15, 4). Sibi verò primùm

aram ex glebis ad radices Sinai excitari (Exod. 20, 24, 25) voluit; deinde alteram ex ligno excavatam, æreisque laminis superindutam, et in tabernaculo collocandam, quæ craterem æneam ad medium clavi suspensam sustinendo igni continebat (Exod. 27, 8). Porro ad illam per gradus ascendere vetitum, ne fortè inter ascendendum ea detegerentur in sacerdotibus, quæ intentionem pudorem offenderent (Exod. 20, 26). Judeis terre promissionis limites ingressis, jussit Deus alias ex tribus montem Garizim conscendere, ibique legem Dei servantibus benedictiones precari, alias verò montem Hehal tenentes, diramprecari in legis prævaricatoribus (Deuter. 11, 29, et 27, 15, 27, 25). Ara deinde ingens erigenda calce obliata, in qua Lex Dei inscriberetur. Porro hoc præceptum à Josue impletum est (Josue 8, 50, 51).

DE POLITIA, SIVE RATIONE JURIS DICENDI

APUD VETERES HEBRÆOS, ET POTISSIMUM DE SANHEDRIO,

Dissertatio.

Reipublice Hebræorum constituta crepundia ex latà à Deo in monte Sinai lege, susceptoque à Moysè populi regimine, ac tandem inceptà ad normam divinarum legum politiam, repetenda sunt. Frustra enim in populo, dum in Ægypto versabatur, certam politiam, certosque judices Israelitas pleno jure regentes exquiramus; quos enim operibus fratrum præpositos (Exod. 5, 6), sive quos seniores appellatos (Exod. 3, 16) in Scripturà novimus, iis spontè quidem populum paruisse, nullam tamen eos cogendi habuisse auctoritatem, planum est. Moyses omnium primus plenum in populum suum jus supremamque auctoritatem obtinuit. Solus omnia reipublice onera sustinuit, donec monente Jethro sacro suo, in partem laboris selectos ex fratribus accivit. Consultissimus enim ille senex animadvertens unicum virum juris dicendi inter populum majus ferre pondus quam sustineri posset, selectos sibi viros ut adsiceret Moysi auctor fuit (Num. 11, 16). Ejus igitur consilia secutus Moyses (Exod. 18, 25, 26), *electis viris strenuis de cuncto Israel, constituit eos principes populii, tribunos, et centuriones et quinquagenarios et decanos, qui judicabant plebem omni tempore.*

Quidquid autem gravius erat, referebant ad eum, faciliora tantummodò judicantes.

Hæc politia parùm mansit: ab adventu scilicet Jethro in castra Israelitarum, paulò ante quam Israelite à Cadesbarne moverent, usque ad castra metationem ad sepulchra Concupiscentiæ, quò tridui itinere è monte Sinai populus venit. Ibi enim Deus senatum septuaginta virorum selegit, quos divini Spiritus illapsu instructos Moysi assignavit adjuutores. Ibi Sanhedrii defensores prima constituti illius celebratissimi senatus, de quo nos infra fusiùs, fundamenta collocant. En igitur senatus 70 senioribus constitutus, cui Moyses præesset, omnesque simul pro eo, quem à Deo habuerant, prophetiæ spiritum jura populo dabant. Mansit tamen simul constituta auctore Jethro antea politia; quibus iudicibus collatam credimus auctoritatem dirigendi res civiles, ad politiam et militiam pertinentes; quemadmodum et judicia omnia ad senatum septuaginta deferabantur; exceptis tamen causis gravius, de quibus Moyses ipse cognoscebat. Malunt tamen rabbiini, nec injurià fortassè, hoc septuaginta seniores ex ipso iudicium sub Jethro constituto numero fuisse.

ita constituta res toto itinere per desertum spatio scilicet 59 annis circiter obtinuerunt. Nec sanè aptior alia politia invehi potuisset, imò vix aliter deducendus videbatur populus, qui in unum veluti cæcum coalescens, ambulantis civitatis speciem referebat. Cæcus facilis erant et communes, litium pars maxima, quòd agrorum et latifundiorum divisio nulla esset, succibus; quare parvus iudicum numerus totam rempublicam facillè administrabat.

Verùm cautè repitans legislator futurum ut in terrà promissionis ea politia ratio haberetur incommoda, jussit constitui in singulis urbibus iudices et magistratus (1) pro causis civium cognoscendis, ita tamen, ut si quid gravius emerisset, illud ad locum à Domino selectum deferretur, sacerdoti de familia Aaron, penes quem tunc temporis suprema esset auctoritas, iudicandum; hujus autem iudicio non acquiescere capitale decrevit (2). Alibi etiam cavet, si homicidium aliquod, cujus auctor lateat, commissum deprehendatur, acciri statim sacerdotes, ad quos attinet (Deut. 21, 5) *omne negotium et quidquid mundum vel immundum est* (Heb., omnis causa, et omnis plaga); ab illis verò, adhibitis etiam senioribus vicinioris urbis, crimen expiandum, tum et ira Dei à populo advertenda. Eadem sacerdotum judicialis auctoritas asseritur etiam, Deut. 19, 16: *Si steterit testis in iudicio contra hominem, accusans eum prævaricationis, stabant ambo, quorum causa est, ante Dominum in conspectu sacerdotum et iudicum qui fuerint in diebus illis; cumque diligentissimè perscrutantes invenerint falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium, reddent ei, sicut fratri suo facere cogitavit.* Paraphrastes Onkelos, cujus interpretationes maximi sunt inter rabbiinos ponderis, verba illa Deut. 33, 9, 10: *Qui dixit patri suo et matri suæ: Nescio vos, explicat de sacerdotibus, qui in causis iudicandis rectam iudicii lancem tenent, ut solam respiciant veritatem et aequitatem, nihilque in carnem et sanguinem inclinent; quæ interpretatio ex subsequenti ver-*

siculo confirmatur, cum de filiis Levi sermo est, qui servaverunt, ait Moyses, *iudicia tua, è Jacob, et legem tuam, è Israel.* In eandem idem loquitur Ezechiel 44, 24: *Cum fuerit controversia, stabunt in iudiciis meis, et iudicabunt. Leges meas et præcepta mea in omnibus solemnitatibus meis custodiant.* Samaritani in suà ad Scaligerum Epistolà testantur summam apud se auctoritatem esse penes summum sacerdotem, ad cujus iudicium undique ex urbibus convenirent. Ita porro ille populum iudicat, ut vel in ipsas cogitationes ferat sententiam; omnia ad ejus nutum terminantur; felicem profectò qui sacerdotis illius dicto audiens est; infelicem, qui jubentem contemnit. Iis igitur rerum iudicarum status fuit, cum pax et religio in tranquillo manserant.

Nec sanè aliter legislatoris mentem Josephus interpretatus est tradens constitutos ab illo in singulis urbibus septem iudices, qui adhibitis duobus Levitis jus civibus dicerent. Majoris tamen indaginis causa, ait, ad urbem à Domino selectam, summo sacerdoti, prophetae et senatui cognoscende deferabantur. (Antiq. l. 10, c. ult. cont.) Ipsi pariter regi inconsultis summo sacerdote et senatu nihil agere fas erat. Atque in opere contra Appionem, de politia Hebræorum agens (cont. Appion. l. 2, c. 61), nullam consilii unquam posse aut politiam neque aequiorem neque sanctiorem, quam que Deum auctorem habet supremum rerum arbitrum. Deus autem iste magnus omnium simul sacerdotibus rerum sacrarum majoris momenti administrationem reliquit, auctoritatem in reliquis res omnes penes summum sacerdotem esse disposuit. Horum igitur cure datur, addit Josephus, ut legis sanctiones et discipline ratio salve perseverent et integra: de controversiis ita iudicant, ut et animadvertendi in sententias habeant. Quod igitur sanctius quam Hebræorum politia? Itaque ex Josephi sententià (idem eod. lib.), Judæorum reipublica neque ad monarchiam neque ad democratiam referebatur, sed genus quoddam politia constituebat quod Deum habens supremum arbitrum, theoretica jure rectèque appellaretur. Nec sanè sacerdotes alique primores iudices aliter de causis cognoscebant, quam delegatà sibi à Deo auctoritate; ejusque veluti tribunalis assidentes, coram arca et in loco à Deo selecto iudicia ferabant. In causis discutiendis legum oracula consulebantur; nec raro judices divinitus inspirati sententias, tanquam è tripode, proferebant; quin et in causis gravius summus sacerdos non prius iudicabat, quam urim et thummim

(1) Deut. 16, 18: Iudices et magistratos constitues in omnibus portis tuis.

(2) Deut. 17, 8, 9: Si difficile et ambiguum apud te iudicium esse perspexeris... et iudicium intra portas tuas videris verba variari, surge, et ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad sacerdotes Levitici generis, et ad iudicem qui fuerit eo tempore, quæresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicii veritatem... Qui autem superbiert, nolens obedire sacerdoti imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, et decreto iudicis, morietur homo ille.

ferens, à Deo edoceret. Porro, ait Josephus (ibid.), summo sacerdoti potissimum incumbat leges sertas tectas servare, dijudicare de controversiis, atque reos sententia damnatos punire; quicumque sacerdoti parere recusasset, in eum tanquam læse majestatis divina reum ultimo supplicio animadvertelatur.

Ad hanc politiam normam Hebræorum rempublicam nunquam non reformandam curarunt viri illi religiosi, qui hanc provinciam identidem susceperunt. Quare si non adeo constans ejus successio in historia populi appareat, in causâ fuisse credendum est, quod nec iudices neque principes recti semper tenaces apud illos regnarint, ac senior quandoque populus religionis sue exercitium neglexerit, ac tandem bellis non raro regio turbaretur. Qui enim, e. g., fieret, ut leges et judicia ordine à legislatore prescripto servarentur inter persecutiones et captivitates, quæ iudicibus regnantibus malorum successione quâdam populum opprimebant? Satisne religionis ad leges servandas in populo fuisse crederetur, dum eò usque irreligionis processerat, ut in scelera omnia et idololatriam prolaberetur? Frustra quis in eâ rerum turbatione legum tranquillam constantemque statum requirat; satisque erit ad intentum, si pro vario populi in religionem studio, exactior modo, remissior aliquando ejus politiae ratio obtinuisse videatur.

Post obitum Moysis, Josue rerum politus constitutam à decessore reipublicæ formam in Chanaanitide statim invehere non potuit. Prius enim sub jugum mittenda regio fuerat, deinde in tribus dividenda. Nec post eam inductam divisionem, pactamque provinciam diutius Josue supervixit. Sub eo duce, cui ad sapientiam ac religionis studium nihil fuit reliqui, leges et politia Hebræorum floruerunt. Antequam is rerum status constitui potuisset, ipse Josue cum summo sacerdote et senioribus Israel rempublicam administrabat. Hinc populus universus, quemadmodum olim in verba Moysis, ita post ejus obitum in verba Josue juravit (Josu. 1, 10, 16, 17), ejusque imperium deinceps capitale fuisse scribit. Seniores populi unâ cum Josue fœdus cum Gabaonitis strinxerant (Josu. 9, 15). Ipse Josue unâ cum Eleazaro summo sacerdote divisioni Chanaanitidis per selectos singularum tribuum viros facte præerat (Josu. 14, 1, 2); ac tandem ætate jam affectâ Josue *omnem Israel, majoresque natu, et principes, ac duces, et magistros* in concionem vocavit (Jos. 25, 2, et 21, 1); i. e., iudices et

magistratus ex Moysis prescripto in regione constitutos accersens, fœdus inter Dominum et Israellem innovavit.

Ordinate à Josue reipublicæ politia tandem mansit, donec Israelitæ omni jugo principatus excusso in funestam illam anarchiam devenissent, quæ et altam divinarum legum oblivionem induxit, et variis captivitatibus, sub variis identidem populis, miserimam gentem oppressit. Lætis tristia vicissim successerunt pro modo criminum, et respicientiæ, quibus Deus sive ad veniam, sive ad ultionem excitabatur. In tantâ rerum vicissitudine vix fieri posset, ut exacta quædam politiae ratio apud Hebræos spectaretur. Injurie in uxorem Levite irrogatæ historia, quemadmodum et belli per eandem occasionem cum tribu Benjamin gesti, ideam ingerit populi, qui nullo quàm voluntatis singuli suæ arbitrio regerentur. Ejusdem etiam rei argumentum est historia Michæ, et Danitarum transmigratio; cujus occasione monet Scriptura, eâ ætate singulos suæ voluntatis arbitrium sectatos, ac neminem in Israele regem constitutum fuisse.

Judices à Deo pro datâ occasione identidem excitati, non ita populum moderabantur, ut despoticum sive in iudiciis, sive in populum universum auctoritatem obtinerent. In eâ tantum regionis parte quæ à jugo servitutis releverant, principatum gerebant; cùm interim cæteri sive aliis servirent, sive suo regerentur arbitrio. Fateamur etiam oportet, totam regionis eorum rationem latere nos, nihilque habere exploratum eorum, quæ ad iudicium auctoritatem et judicandi Israelis politiam pertinerent. Major politica gubernationis, et constantior ratio sub Samuele animadvertitur. Judicavit vir ille populum universum 20 annis (1); quotannis totam discurrebat provinciam, atque tribunali in Bethel, Gulgalis, et Masphat erecto, de causis cognoscebat (1 Reg. 7, 15, 16). Porro in iudiciis præscriptus à Moysæ ordo tunc servabatur. Seniores et iudices populi in causis majoris momenti Samuele convenisse leguntur (1. Reg. 8, 1, 4); Prophetæ in nomine Domini sententias pronuntiabant. Cùm affecte jam ætatis fuisset, filios suos iudices constituit in Bersabee; sed recti minus tenaces juvenes adeo seniorum Israelis animum offenderunt, ut de constituendo sibi rege cogitare ceptum sit

(1) Calmetus hic Usserium chronologiam sequitur. Juxta chronologiam Marsham, Samuel hebræam gentem rexit sexdecim tantum annis. Vid. Dissertat. in librum Judicum.

(2 Reg. 15, 2, 5, 4). Rei geste historia explorata est.

Tunc constituta à Moysæ politia omnis eversa est. Nōrat tamen providus ille legislator, Hebræorum animos tandem in regem inclinatos, nonnullasque etiam leges regi idoneas scripserat. Verum, sive ille leges ad politiam constituendam frustra crederet futuras, cùm reges pro arbitrio omnia disponant, sive Deus præcepta eâ de re sua daturum sibi reservavit, quod sanè in electione Saulis ore Samuelis præstitit; sive tandem Moyses politiam à se constitutam cum auctoritate et despotico regum imperio constare posse crederet, nihil sanè in eam rem peculiare sancivit. Saul verò ad regnum evectus nihil nisi res bellicæ curasse videtur; cætera occasione cum tribu Benjamin gesti, ideam ingerit populi, qui nullo quàm voluntatis singuli suæ arbitrio regerentur. Ejusdem etiam rei argumentum est historia Michæ, et Danitarum transmigratio; cujus occasione monet Scriptura, eâ ætate singulos suæ voluntatis arbitrium sectatos, ac neminem in Israele regem constitutum fuisse.

David vix rerum politus, pacatoque à bellis regno, nihil antiquius habuit, quàm ut per se ipsum de causis populi cognosceret. Ipsa narrante Scripturâ, sciens Absalomum ejus filium regnum affectantem (2 Reg. 14, 7), præ aulæ jamis quotidie consedisse, ubi singulos ad regis tribunal venientes alloquens, de eorum negotiis sciscitabatur, tum aqua eo poturum dicebat; sed addebat (2 Reg. 15, 5): *Non est, qui te audiât constitutus à rege. Quis me constituit judicem super terram, ut ad me veniant omnes qui habent negotium, et justè judicem?* Joab, adhibita feminâ Theuite, veniam pro Absalomo, occisi fratris reo, à Davide postulavit; mulier autem illa aliquid se à rege pro filio suo, quod subito oborta altercatione fratrem occidisse dicebat, impetraturam simulans, coram illo stetit.

Solomon, patris exemplum secutus, præ foribus aulæ jus dicebat. Exstat in libris sacris constructi ab ipso throni descriptio (3 Reg. 10, 48, 49); tum narratur sagacitas in judicio ferendo in notâ illa duarum feminarum altercatione, mutuo sese de occiso alterutrius filio accusantium (3 Reg. 3, 16, etc.). Legimus etiam regem ipsam Gabaon se contulisse (2 Par. 1, 2), comitantibus principibus, centurionibus, aliisque decibus populi adeoque et omnibus, qui juxta Moysis leges in singulis urbibus constituti fuerant. Erant apud Salomonem à consiliis

seniores et sapientissimi quamplures viri, qui post ejus obitum prudens Roboamo consilium suggesserunt, quod præpeterè ab ipso neglectum est. (5 Reg. 12, 6, etc.)

Diviso tribuum principatu, decem ex tribubus Jeroboami partes secutus, sicuti res omnes, ita et politiam Israelis vehementer turbari contigit. Inipius ille rex tunc demùm rebus suis consulturum se ratus, si omnem religionem subverteret, nihil etiam integrum reservavit eorum quæ Moysæ constituerat. Quare traditionem et constantem verè disciplinæ et politicæ successionem non nisi in regno Juda deinceps scrutari oportet.

Cùm Josaphat diuionem suam reformare statuisset, non aliam sibi proposuit normam, quàm politiam à Moysæ prescriptam (2 Par. 19, 5): *Constituit iudices terre in cunctis civitatibus Juda... et præcipiens iudicibus: Sit timor Domini vobiscum, et cum diligentia cuncta facite; non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum. In Jerusalem quoque constituit Levitas, et sacerdotes, et principes familiarum* (duo scilicet tribualia, alterum ex sacerdotibus, alterum ex laicis), *ut iudicium et causas Domini judicarent* (nempe sacerdotes) *ubiqueque questio est de lege, de mandato, de ceremoniis, de justificationibus. Amarias (1) autem, ait, sacerdos et pontifex vester, in his quæ ad Deum pertinent, præsidet. Alterius tribunalis princeps erat Zabadias, dux in domo Juda, super opera quæ ad regis officium pertinent; id est, præerat Zabadias causis politicis, quæ ad rempublicam et civis pertinebant.*

Eadem, quæ sub Josaphat constituta legitimus tribualia, Jeremias, sub Joakim rege Juda scribens, designat (Jerem. 26, 8, 10). Cùm enim prophetam illum sacerdotem, et pseudo-prophete judicio damnasset, quod scilicet sinistra aliqua in templum pronuntiasset oracula, populus universus in templum ad eam rem convenit. Tunc principes Juda, ceriores de omnibus facti, ex aulæ regis, ubi senatum habere consueverant, in templum se conferentes, à sacerdotibus, scribis, et populis cognitum causam ad se avocârunt. Sacerdotes et Prophete rerum mortis Jeremiam postulabant; sed principes eorum sententias abrogârunt; tum seniores populi iniquitatem prioris iudicii in Prophetam lati pro concione exposuerunt, allo-

(1) Pontifex ille Amarias fortassis idem est ac Azarias de quo Paralip. 6, 9; et idem ac Joachaz in Judæorum Chronico designatus.

rum Prophetarum exempla proferentes in medium, qui in urbem et templum imponere oracula pronuntiarent. Ex his omnibus de auctoritate senatorum et principum aucte argumentum capimus; tum et fabellam arguimus eorum, qui de auctoritate Sanhedrii mira venditarent.

Ea porro valebant auctoritate principes Juda, ut vel à regibus timerentur, eà potissimum ætate, cum politia rebus prostratis, eorum principum potentia neque resistere regis velent, nec possent. Cum Jeremias expugnanda à Chaldeis urbis Jerusalem oraculum pronuntiasset (Jerem. 35, 5), principes tradi Prophetam nova spargentem in vulgus, à rege postularunt, eumque veluti reipublice hostem puniendum dicebant; quibus Sedecias : *Ecce in manibus vestris est, inquit, nec enim fas est regem vobis quidquam negare.*

Cursim etiam spectanda est hæc occasione summi sacerdotis auctoritas. Semel, datis Itabylyone ad sacerdotem Sophoniam litteris, ita scribit : *Dominus dedit te sacerdotem (1), ut sis dux in domo Domini super omnem virum arripitum, et prophetantem, ut mittas eum in nervum et in carcerem. Et nunc quare non increpasti Jeremiam, qui propheta vobis?* (Jerem. 29, 26.) Et Phassur princeps domus Domini et sacerdos, tristia in urbem prophetantem Jeremiam percutiens in carcerem simul detrusit (Jerem. 20, 2).

Facile credimus illos septuaginta viros seniores domus Israel (Ezech. 8, 11, 16, 17), quos Ezechiel thura adolentes coram idolo pervisum spectavit, sicut et alios 25 viros, quos inter templum et altare holocaustorum terga vertentes templo, et pronos orientem solem adorare vidit; facile, inquam, credimus viros illos spectate dignitatis ipsissimos esse iudices templi et aucte, de quibus supra. Cum autem viri illi clarissimi essent, atque potentissimi in tota regione, ideò translati in captivitate, una cum Joachin in Scripturâ memorantur (4 Reg. 21, 15) : *Translati Joachin in Babylonem.... et iudices terre duxit in captivitate, etc.*

(1) Textus addit : *Pro Joiadâ sacerdote.* Quod interpretibus nonnulli negotii faciunt. Nemo nescit Joiadâ fuisse summum sacerdotem tempore Joæ, item Sophoniam sacerdotem non summum, sed secundum fuisse, 4 Reg. 25, 18. Notandum verò est hebraicam vocem שרף, verti posse : *Sub Joiadâ sacerdote.* Porro si, lapsam omnino faciem admittendo, legatur : *sub Saraiâ sacerdote* difficultas omnis tollitur; quippe Saraiâ tunc temporis erat summus sacerdos, et Sophonias sacerdos secundus.

Historia iudicii in Sozannam lati argumento est apertissimo, in causis cognoscendis apud Judæos leges aliquas observari in captivitate consuevisse, sicut et suos fuisse vernaculos gentis iudices. Sed quænam leges illæ? quis iudicium numerus, auctoritas et ordo? Estras in Palesinam redux (1 Esdr. 7, 20) plenam ab Artaxerxe obtinuit auctoritatem iudices in regione constituendi, qui de causis cognoscentes, parere reos vel ipso ultimi supplicii metu cogere. Josephus de hæc politia (Antiq. lib. 11, cap. 4) post captivitatem agens, ait, aristocraticam quamdam oligarchiâ mixtam rempublicam constitutam fuisse, in qua potissima essent sacerdotum partes; stetit autem ait usque ad Asmonæos, quo primùm tempore ad monarchiam Judæi regressi sunt. Hæc omnia quadrant cum historiâ Jaddi summi sacerdotis, qui principis Judæorum auctoritate et nomine Alexandrum Magnum Jerosolymam venientem excepit (Antiq. lib. 11, cap. 1); quemadmodum et cum litteris Arii regis Spartarum, ad Oniam summum sacerdotem, et duces gentis Judæorum datis (1 Mach. 12, 20, et Joseph. Antiq. lib. 12, cap. 5). Exstant etiam ejusdem ætatis rescripta regum Ægypti, et Syriæ pro Judæis utrique regi succedente tempore servientibus, quibus juxta suas leges vivere permissum esset, eà tamen conditione, ut tributa regibus debita solverent. Verùm in republica, cujus prostrate penitus erant res, certam rectorque dispositam politiam quod exigamus nihil est.

Quæcumque tamen nunc temporis esset reipublice Judaice economia, hæc totam Antiochus Epiphaneus, motâ in illos persecutione, subvertit. Afflictis tamen rebus Mathathias, ejusque filii, comparato fidelis populi exercitu, ita succurrerunt, ut certam simul reipublice formam redderent. Judas Machabæus in solemnî populi concione ad Maspham duces populi constituit, tribunos, centuriones, quemadmodum et præfectos super quinquaginta, et super decem (1 Mach. 5, 55). Jonathan, qui fratri Judæ in imperio successit, utraq; in se conciliatâ sacerdotali scilicet et regiâ dignitate, ita populum moderatus est, ut una cum senatu, quin et adhibito etiam populo, de rebus deliberaret. Ita sanè colligimus ex litteris Judæorum nomine ad Romanos et Lacedæmones missis. Hebræorum tum temporis politia veram rempublicam referebat aristocraticâ et democraticâ mixtam. Eâ occasione Sanhedrin omnium ore celebratissimum cepit.

Aristobulus, filius Joannis Hircani, regis nomine et insignibus assumptis, pristinum fermè ordinem in politia integrum manere passus est. Magna semper stetit senatus auctoritas, quamvis à suffragiis ferendis populus tandem excluderetur; sed et temporis successu regum ea cura fuit, ut auctoritatem suam etiam atque etiam promoventes, senatum etiam atque etiam in arcum concluderent. Ita labentes quotidie pristinae politiae res Pompeius tandem, redactâ in ditionem et in provinciam Romanorum Judæa, penitus dejecit. Superveniens aliquantò post Pompeium Gabinius (vide Joseph. lib. 13 Antiq., cap. 8, 9, 10, et de Bel. l. 1, c. 5), quique tribunalia, singula in singulis florentissimis provinciæ urbibus constituit hoc ordine : Jerusalem, Gadara, Amath, Jericho, Sephore. Sua singulis hæc tribunalibus attributa in provinciâ dedit, e qua ad assignatam sibi urbem inerte concursum facerent.

Julius Cæsar restituto in summum sacerdotem Hircano jus supremum cognoscendi de causis ad Judaicam legem pertinentibus asseruit (Antiq. l. 14, c. 17). Herodes, private adhuc auctoritatis vir, in jus coram iudicibus Jerusalem accitus, acceptam ab illis injuriam post adeptum regnum ulius est. Omnes ille iudices, excepto Sammæ viro inelyto, ultimo supplicio damnavit. Jus sanguinis ademptum Judæis 40 annis ante eversionem templi vel ipsi rabbinî fatentur; quin et de causis pecuniariis 150 annis antea cognosci desitum esse traditur in Gemarrâ (Selden. de Synedr. l. 2, cap. 15, art. 11). Defuncto H-ode, Archelaus ejus filius à regno et patriâ extorris actus, per Romanos Viennam relegatus est; tum et jus gladii omne Judæis ademptum. Legitur etiam Albinus Judææ procurator gravibus habuisse Ananum summum sacerdotem, quòd inscio procuratore senatum coegisset; idque ut sibi deinceps permitteretur Judæi, missis clam legatis Agrippæ auctoritatem implorantur.

In libris N. T. summus sacerdos senatui, vel concilio nunquam non præest. Caiphas concilii princeps capitalem sententiam in Jesum pronuntiat : *Exepit ut unus moriatur homo pro populo* (Joan. 18, 15, 14). Summus sacerdos silentium indicit Apostolis in jus eorum se vel concilio vocatis (Act. 4, 6, 18) : datis ad principes synagogarum litteris persequendi fideles Saulo jus asseruit (Act. 9, 1, 2). Idem Saulus, è persecutore in vas electionis transformatus, coram summo sacerdote Ananiâ deductus, pontificis jussu colopho cæsus fuit. Ananum pontificem

in obidione Jerosolymitanâ belli curas in se suscepisse ex Josepho intelligimus (de Bel. l. 2). Ex hisce historice monumentis politiae Judaice status et vices eo temporis tractu, quod inter consultam à Moysè rempublicam et eversionem usque Jerusalem interdidit, satis colligitur.

Post eversum templum, et urbem, nulla certa reipublice forma apud Hebræos uspiam fuit. Quare rabbinî mansisse Sanhedrin in Judæa usque ad seculum post Christum quartum, non nisi per summam impudentiam assererunt. Si quod etenim ejus vestigium toto illo tractu, qui inter Vespasianum et Adrianum intercessit, fortè deprehendatur, nullus certè judicialis in Judæa cæcus Hebræis mansit, ex quo Adrianus ipsa omnem populo aditum in eam regionem interdixit. Id sanè probat Seldenus, Sanhedrii in primis fautor, adductisque scriptorum exoticorum et Judæorum testimonio ita rem demonstrat, ut extra controversiam ponat (de Synedr. l. 2, cap. 7, art. 6, et in adden. pag. 729, et lib. 2, cap. 16).

Huic de politia Judæorum ideæ ex S. Scripturâ et Josepho conceptæ, vix ac ne vix quidem congrunt ea quæ à rabbinis venditantur; quibus proinde falsi non levis suspicio eà de causâ creatur. Cum enim nullus rabbinis alius fons illius præter scripturam suppetat, unde traditiones suas derivent, si quid S. scriptura absontum asseruisse convincantur, statim præjudicio damnati sunt. Si varia hebraica reipublice tempora inter se conferantur, variasse etiam apud illos politiam, nec eam que à Moysè sancita est, constanti traditione ad iudices et reges transisse statim intelligemus. Moyses monarchicalam Ieremâ Imperium exercuit, cui senatus 70 iudicum, de quibus in Numeris legimus, accedebat. Sub iudicibus variis reipublice status fuit : modo sine principe unusquisque suo ducebatur arbitrio, modo iudicibus, modo hostibus coacti pæbant.

Veteres reges Juda per senetipos jus populo dicebant, cujus rei exempla in Davide, Salomone, Jonathan filio Azariæ (4 Reg. 15, 12) suppetunt. Labente reipublice statu penes principes populi summa fermè auctoritas mansit. Post captivitate usque ad Asmonæos summi sacerdotes rerum potiebantur, aristocraticum democratico mixtum imperium exercebant. Tandem sub Asmonæis regibus in monarchiam reipublice status recidit, donec Romanorum armis et natio, et reipublica universa deleta est.

Hæc simul omnia contemplantes, consilium habuisse Moysen credimus, ut in reipublica sta-

tus constitueretur, in quo sacerdotes unâ cum principibus, sive iudicibus à Deo suscitatis, nec non inferioribus aliis iudicibus in singulis uribus pròpositis res gubernarentur; ita tamen ut sacerdotes, majori quippe scientiâ instructi atque minùs rebus gerendis occupati, de causis legis et religionis cognoscerent. *Non peribit lex à sacerdote*, dicebant apud Jeremiam Judæi (Jer. 18, 18). Voluit insuper ut iudicum summus princeps, atque supremus iudex summus sacerdos agnosceretur, ad quem arduas omnes et majoris momenti causas deferri jussit. Principem occupatum esse voluit rebus belli et pacis tractandis, politiâ legibusque assensendis; ac tandem exerto gladio legum divinarum violationem ulcisceretur, etiam atque etiam preceptis. Ita contemptâ republicâ, *regale sacerdotium*, seu mixtum sacerdotum et regis imperium invexit. Is autem politiæ status maxime congruebat populo, qui ex Ægypto recessu egressus, sacerdotes in altissima dignitate culmine constitutos nôrat. Ipsi enim apud Ægyptios leges præscribere nedùm ceteris, sed et regibus consueverunt; ipsi reges consistere, nec non semel constitutos proscribere. Sacerdotium hereditario jure possidebatur, regnum electione. Juri dicendo sacerdotes præerunt; quin è sacerdotio ad regnum non semel aditus patuit. Si verò aliunde quàm è sacerdotium numero rex assumeretur, statim sacræ crat initiandus. Parem Moyses disciplinam apud Hebræos invehere cogitabat, quanquàm ejus consilio vix quidquam deletum fuisse sequiori aëvo, ex his quæ supra animadvertimus, satis intelligitur.

Si ea tantum quæ in S. Scripturâ traduntur de hoc argumento, scriptores prosequi voluissent, hic finem dissertationi tandem imponeremus; cùm verò plura addere rabbinis in mentem venerit, hisque plus nimò fidem habuerint interpretes plurimi nec infini subselli, eos ab errore revocandi negotium nobis capessendum duximus. Quâ in re lectores rogamus ut non viros inspiciant, sed adducta ab illis argumenta sedulo perpendant; neque enim in hoc argumendi genere viri auctoritas quidquam, sed doctorum ratio momenti aliquid confert. Rabbinis igitur, quos recentiorum scriptorum turba magistros sequitur, visum est, prima instituti Sanhedrii cunabula in electione 70 seniorum Israel consistere. Porrò cætam istam semper apud Hebræos mansisse ferunt, non ad eversionem urbis sub Vespasiano tantum, sed inde usque ad Adrianum, et diu etiam ultra. Huic autem senatui despoticam tribuunt auctoritatem, tum in

gentem universam ac tribus, cùm in regem, pseudo-prophetas, summum sacerdotem, ac tandem in arduis quibuscumque tam civilibus quàm ecclesiasticis causis, constabat 71 iudicibus, si unâ Moyses, totius senatus princeps recensetur. Quibusdam tamen christianis auctoribus visum est 72 iudices, sex pro singulis tribubus annumerare. Verùm doctores Hebræi tantum 70 recensent, quibus addunt totius Sanhedrii principem, Nomen *Sanhedrin* ex græco *Synedrion*, nempe senatus, seu viri simul assidentes, corrupto derivatur. Apud Macedones adlecti in senatum Patres *Synedrî* appellantur (1).

Præerat Sanhedrio *Nasi*, seu princeps, cui secundum in dignitate ad dextram principis assidens, succedebat pater. Sequebantur cæteri patres in hemicyclum ad levam principis assidentes, juxta Maimonidem, seu potius hinc inde ad utrumque principis latus. Locus habendi senatus consuetus erat aula templi dicta: *Aula lapidibus strata*; cùm tamen die sabbati, seu feriâtâ cogendus esset, tunc locus destinatus erat aula in antemurali sita, in ipso montis, ubi templum constitutum, ingressu. Verùm, sive iis diebus, sive die solemnitatibus vel sabbatum præcedenti, sicut etiam nocte, nullus judicialis actus fieri permittitur. Quancquàm, si ante noctem aliquid inceptisset, nocte subeunte, absolvere fas erat. Stante adhuc priori templo, nempe ante captivitatem Babylonicam nulla dies erat à Sanhedrio feriata, si festa excipiantur, quemadmodum et sabbata, ac dies solemnitatibus præcedentes. Verùm, post Esdram, habendo senatui dies constituti sunt secunda et quinta feria. Porrò patres primo mane sub tempus matutini sacrificii cogebantur, nec nisi ad vesperam sub tempus sacrificii vespertini, scilicet sole occidente, ad propria remeabant. Judicia illa inferiora, ut concilium trium, et viginti trium, sub meridiem solvebantur.

